



B. C. D.

TH. I.



Onuit in præcedentibus Cicero, ut in Beneficentia delectus dignitatis & respectus habeatur ad Communitatem Societatemque vita; h. e. ut secundum Ordines & Gradus, quibus homines variè inter se devincti sunt, unusquisque erga alterum exerceat liberalitatem. Nunc ad do-

Strinam istam progrediens, Regulam hanc tradit generaliore: *Optime societas hominum conjunctioque servabitur, si, ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur.* Quam regulam pariter allegat H. Grotius Lib. II. de J. B. & P. Cap. VII, ubi agit de Successionibus ab intestato, §. X. *Primum autem Conjunctionis gradum Tullius cerni ait in universi generis humani societate; sive, Communitatem maxime universalem esse hominum, quàm hominum.* Ad quam respexit Aristoteles, quando, cum ipsi objiceretur, quod beneficus fuerit in hominem vitiosum, respondit: *Non mores miseratus sum, sed hominem!* De eadem loquitur Lactantius, ex mente & ore Ciceronis nostri: *Sicut una eademque natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohaeret, ac nititur; sic omnes homines inter se natura confusi, pravitate dissentiunt: nec se intelligunt esse consanguineos, & subiectos omnes sub unam eandemque tutelam. Quod si teneretur, Deorum profectò vitam homines viverent.* Lib. V. Instit. c. 8.

II.

Societatis hujus vinculum est Ratio & Oratio; qua docendo, discendo, communicando, disceptando, judicando, conciliat inter se homines, conjungitque quadam societate. Hoc de duplici vin-

A 2

culo